



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 143. An liceat ab initio accipere hoc, quod postea dandum esset pro interesse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

cum *Less.* l. 2. c. 20. n. 126., quia non fit auctoritate publicâ, & lucrum est ex mutuo saltem virtuali.

382 Q. 143. An liceat ab initio accipere hoc, quod postea dandum esset pro interesse, v. g. Titius mutuatur 100. Cajo: *Quæritur*, an Titius ab initio possit retinere 5., quos Cajo ex titulo lucri cessantis vel damni emergentis deberet dare post annum. *R.* §. 1. *Az. Rebell. Salas, Castrop.* d. 5. p. 15. n. 9. *Carden.* in 2. crisi d. 25. n. 77. rectè negant, quia sic non mutuâsses 100., sed 95., ergo injustè acciperes lucrum ex 100., putant tamen cum *Pirh. l. tit.* 19. n. 42. te posse, accipere rem infrugiferam distinctam à mutuo & valentem quinque, v. g. vinum, tum enim manet tibi integra fors mutuata, sed *Tamb. l. 8. t. 3. c. 8. §. 3. n. 20. & Spor. t. 6. c. 4. n. 47.* negant etiam hoc licere, quia quamvis vinum illud non sit physicè 5. imperiales, est tamen æquivalenter, ergo reipsa non mutuasti 100., ergo injustè petis interesse ex 100., maxime cum necdum tibi cessârit lucrum aut emerferit damnum, sed hoc priùs futurum fit.

383 §. 2. *Caram.* hoc excusat, si fiat per duos contractus, nempe per mutuacionem & vendicionem, nam per mutuacionem acquirit Titius spem accipiendi 5., quam spem Titius per novum contractum vendit Cajo pro 5., sicuti per legem, *Si jactum* 12. ff. *De act. empt.*, Piscator licitè vendit pisces, quos jactu retis se capturum sperat. *Less.* n. 100. excusat, si sic fiat, nempe si Titius det 95. ad interesse, & reliquos quinque mutuet sine interesse, hos quinque, inquit, poterit repetere ab initio, quia lucrum non solvitur ex summa, ob quam debetur interesse,

esse, sed ex alia, quæ nihil debet: *Si dicas*, malè solvi anticipatò, cùm nondum debeat: *Respondet*, fati esse, quòd sit debiturus postea, onus autem dandi nunc, compensari per hoc, quòd gratis sine interesse mutuentur illi quinque: *Tamb. & Spor.* hos modos referunt & non improbant, sed meritò cavendi sunt, tum quia videntur esse palliata usura, aut saltem continere mentalem, tum etiam quia spes illa *Caramuelis* deberet minoris emi, & suppositum illud *Lessii*, quòd mutuum ab initio repeti possit, est falsum, secundùm dicta n. 842. Denique quia reipsa tantùm 95. darentur mutui.

Q. 144. Quænam pacta sint usuraria, si mutuo addantur. *R.* Hanc regulam universalem dant *Gl. Bartol.* aliique communiter cum *Covarr. l. 3. Variarum. c. 2. n. 5.*, quoties debitor ratione mutui ultra sortem obligatur ad aliquid, quod agere non tenebatur, usura est; sive, quando pro mutuo, vel pro aliquo, quod mutuo est intrinsecum, exigitur per qualemcunque contractum aliquid pretio æstimabile, quod alioqui est indebitum, committitur usura. Ex hac regula sequitur committi usuram, si mutues cum his aut similibus pactis.

1. Ut plus recipias ex benevolentia vel gratitudine, uti constat ex dictis n. 873. & rationem dat *Laym. l. 3. t. 4. c. 16. n. 4.*, quia obligatio ex pacto repugnat gratuitæ remunerationi, cùm ratione pacti quis compelli possit, hinc *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 2.* debitum ex pacto vocat debitum ex justitia: Quod confirmat *Carden. in 2. crisi d. 25. n. 51.* hoc simili, nam si Titius petat equum valentem 100. emere à viro Nobili, qui dicat,

Mm 2

Nobi-